

229.

TESSERA  
SUPREMI HONORIS,  
QUAM  
VIRO  
PRÆCLARISSIMO, NEC NON DOCTISSIMO,  
DOMINO  
**M. MARTINO**  
  
Passenheimensi,

Gymnasii primum Thorunensis per 27. annos Prof. Publ.

tandem Scholæ Mariæburgensis Rectori fidelissimo,

post exantatos difficillimorum laborum dies,

Thorunii A. 1715. d. 27. Julii inter brachia Salvato-  
ris sui pie defuncto,

ejusdemque mensis die 29. honestissime tumulato.

mæsto exhibere animo voluit, debuit

Frater natu minor

**JOHANNES BOHM** / Passenheim.

Cœtus Evang. Raudent. Pastor.

---

Typis, JOHANNIS ZACHARIAE STOLLII.  
ATHEN. TYPOGR.



Sset inurbanum, dignum fugiatque sub umbras,  
  eset sacrilegæ rusticatis opus:  
Non nece fraterni casus obitusque moveri,  
  cespite nec vivo condecorare necem.  
Moris erat veteris, niveo dignique lapillo,  
  Qui Danis quondam perbene cultus erat:  
Ut consangvinei, pietas quos sancta trahebat,  
  defunctorum adeant sponte Sepulcra Patrum.  
  
Luce Sacra inprimis radios vix sole per orbem  
  evibrante suos, teste probante viro: (1)  
Floribus egregiis aspergere busta solebant,  
  aut alii herbis, quas pia fundit humus.  
Hic honor insignis nostroque pioque Luthero  
  a Magdeburgo solvitur, urbe pia.  
Hujus ego populi mores urbisque receptos  
  discipio tristi mente modoque sequi.  
Cum meus in tumulo recubans requiescit amandus  
  Frater, amor noster, deliciumque meum.  
Herbas non possum, nec flores carpere, terra  
  floribus orbatur, jam perit omne decus.  
Carmine lugubri, & tristi modulabor avena,  
  Te colere haud aliter nostra Thalia potest.  
Nomine enim fratrem, sed re factisque Parentem  
  amisi, dolor hinc noster acerbus erit.  
Hunc decet eximio venerari semper honore;  
  erigeret statuam his ipsa Minerva Viris.  
Ille animum corpusque meum pavitque, aluitque,  
  Musarum docuit dulcia castra sequi.  
Nonne Gamalielis debentur jure Palæstræ  
  Oscula, quæ pietas, quæ Deus ipse jubet?  
Ruricolam ingratum, decimas qui denegat Aræ,  
  atrox pro tanto crimine poena manet. (2)  
Pro decimis gratam fas est persolvere mentem,  
  non venit in nostrum pinguis ovile caper.

Wach-

(1) Receptum ibi more atque consuetudine veteri est, ut superstites liberi, sepulchra Parentum aut cognatorum, singulis diebus Solis, horis matutinis, aut ipsimet visitent lachrymabundi, aut missa servo vel ancilla sepulchrorum tumbas ac inscripta Epitaphia rosis, liliis, ruta, verbena, aliisque elegantissimis floribus conspergi atque exornari jubeant, memoriam suorum etiam post fata honorabilem sibi atque gratissimam hoc testantes pietatis officio. M. Joh. Herbinus in Relig. Kyoviens. Cryptis p. 71.

(2) Nonnulli Nobiles Polonie Satana suggesterunt onerosam decimarum manipularum solutionem, onerosos Christianæ religionis ritus ducentes hi præsertim, qui in spurciis gentilitatis enutriti, jugum orthodoxum non facile tolerabant, ad ritus redire profanos, & vetustam sacrilegamq; vitam refumere, & decimas tempore instituto non reddere, nec Ecclesiastis frequentare, ministrosq; & Sacerdotes de eorum Ecclesiis pellere, frequenti conspiratione disponebant. Id cum ad Boleslai Regis I Polonorum notitiam perductum esset, non tulit fidelissimus Catholicæ fidei propagator gliscerentem conspirationem consurgere, sed in ipso suo ortu illam mox extinxit; autores enim illius, missis militibus, comprehendit, & capita conspirationis partim capitali supplicio extinxit, partim verberibus multavit: cæteris minus reis, & sola contagione fundatis, aliorum evasione secundum decrevit, vid. Joan. Dlugosi Hist. Pol. lib. 2. p. m. 171.

Wachschlagerorum mihi conciliavit amorem,  
  post me Albertinam jussit adire Scholam.  
Nec Grudentinum rexisse forte Lycaum,  
  ni mihi proficuum rite parasset iter.  
Nec Mariæburgum gremio fovisset amico,  
  nec concessisset sceptrum regenda Scholæ;  
Ni splendore sui commotum Nominis esset,  
  vilius, ac modo sum, vilius alga forem.  
In quam sum extrusus, nec vinea nostra fuisset,  
  post DOMINUM id precibus doque locoque tuis.  
Te DEUS ex vili gleba subvexit ad alta;  
  sors equidem Tibi erat vilis, honesta tamen:  
Te vario varia in terra cumulavit honore,  
  erexitque tuum ad sidera clara caput.  
Immemor hujus eras minime tu fortis egenæ,  
  hoc de more tuo, pulchre Eobane cane:  
Ille inopem foedo de pulvere sublevat, Idem  
  ex humili afflictum dicit ad alta loco. (3)  
Ut locet & reges inter populique tyrannos,  
  quem fidum vero novit amore sibi.  
Ne, studiofa cohors, si te divexat egestas,  
  abjicias hastam, hunc intueare virum.  
Pregelides Musæ primam flexere juventam,  
  Concius insignis Vir tibi Ductor erat.  
Damminus ad puræ fidei Te pascua duxit,  
  pastus es exque tuo, Docte Pesara, penu.  
Ore ex Goldbachi suxisti dogmata pura,  
  fugisti impurum corde animoque chaos.  
Tempora purpurea tibi cinxit Jena tiara,  
  Jena securi janua honoris erat.  
Sic tibi jam compto, sic sedulitate verendo  
  Thorunium quondam rostra suprema dedit.  
Nam solet urbs isthæc nostros ornare Penates,  
  Civibus & dignis præmia digna dare.  
Thorunium Passenheimo concessit Alumnum,  
  Ottonem, sacra dexteritate Virum, (4)  
Ut Sacro in Cœtu venerandum munus obiret,  
  Divinoque Dei pasceret ore gregem,  
Excita ab hoc fuerat clarorum biga virorum,  
  Hartknoch unus erat, Böhmius alter erat.  
Hic qua Sisyphios tu sedulitate rotasti  
  tot lapides, clament Curia, Templa, Scholæ.  
Nolo tuas vero in multas excurrere laudes,  
  hanc aliis dignam lampada trado Viris.

Si

(3) Vid. Psalterium Davidis Carmine redditum per Eobanum Hessum, in Ps. 113. p. 311.

(4) Teste Viro Consulari Thorun. Nobiliss. J. H. Zerneke, in Tab. Nauf. his verbis: Anno 1603,  
hat der E. G. Raht in Thorun H. M. Zachariam Ottonem Thoruniensem. Prof. Gymn. ernien-  
net/ welcher aber bald drauf Anno 1603 eine Vocation zum Predigamt nach Passenheim er-  
halten; und weil derselbige ein Stipendiat derselben Stadt gewesen/ hat es mit seiner dimission  
in etwas hart gehalten/ bis endlich Anno 1603. den 5. Martii ihm der E. G. Raht den Uzug  
zu diesem Predigt-Umpf dergestalt gegönnet/ daß Er sich reversiren müssen/ wenn er künftig  
anhero ins Predigt-Umpf vocaret würde er dieser Stadt für andern dienen wollen. ex Actis Conf.

Si tua sic stadium virtus emensa fuisset,  
sidera pulsassem vertice pulchra meo.  
Sed licet es lapsus, tibi pes titutaberit etsi,  
non prosterrendus, sed relevandus eras.  
Sol licet illustris sit princeps lucis & orbis,  
attamen eclipsin cum maculis patitur:  
Quid mirum, si quando viri titubantque, caduntque?  
sunt fracti senio, viribus, ingenio.  
Si quoties peccant Doctores, fulmina mittant  
Gymnasia, exiguo tempore tota cadent.  
Si modo post lapsum resipiscant atque resurgant;  
Non veniam his resecas, Cæsar Amande, (5) viris.  
Vivus erat martyr, vivusque Bohemicus Hussus,  
A cuius patria nomen & omen habes.  
Non tibi martyrium, non crux, non defuit ignis,  
Tu fueras tostus, tu maceratus eras.  
Ast cur amplifico nimium, irritoque dolorem,  
Mœrori cur non contraho vela gravi?  
Hinc quia mens nimia mœroris tabe fatiscit,  
fac alter pro me verba Poëta pie:  
Ornet felicem post fata Poëta Poëtam,  
vix his sum dignus ferre ministerium.  
Me solare gravi percussum vulnere mortis  
fraternæ, & medicas affer, Amice, manus. (6)  
Pone modum lacrymis, quæso, fraternaque tandem  
funera plebejo define more queri.  
Flere nefas, portum, superato navita ponto,  
cum tenet, & nexit ornat aplustra rosis.  
Flere nefas, miles confecto marte triumphum  
cum Capitolina victor in arce canit.  
Quem gemis extinctum, subduxit fluctibus alnum  
Frater, & in tuto gaudia lætus agit.  
Hostibus edomitis exultat, & aurea cœli  
templa tenens, Christo cum Duce cantat JO!  
Hic diadema gerens, rutilis insigne pyropis,  
aureus ingentes eminent inter avos.  
Adscriptusque Choro superum, cœlique ministris  
Conspœctu fruitur semper & ore Dei. (7)  
Pullaque mœroris detraxit syrmata Numen,  
Hunc toga justitiæ vestit & ipsa salus.  
Vos alii, quos tangit amor, laudate Poëtam,  
Cantantes Fratris ferte feretra mei.  
At tibi quod vivo detraxerat invida turba,  
post obitum duplice fœnore reddat honos.  
Omnia post obitum fingit majora vetustas,  
major ab exequiis nomen in ora venit.

(5) In Synodo Oecum. Nicæna egregie dixit Constantinus Cæsar ad Acesium Novatianum: Pone scalas Acesi, & in cœlum solus ascende, denegando Lapis gratiam. Conf. Socrates lib. I. Hist. Eccl. cap. 10. & Sozomenus lib. I. cap. 22.

(6) Consolatio hæc deprompta est ex Deliciis Poëtarum Scotorum superioris ævi Illustrium, p. m. 528.

(7) Alluditur ad textum funebrem, Esa. LXI. v. 10.